

GUTTERWITZ
MESSENIUS, JOHANNES

**Oratio prosagoga: / a Iohanne Messenio ...
cum succinctam vtriusq' iuris exegesis, in
Academia Sueonum ... anno sexentesimo
nono, supra millesimum auspicaretur, ...
pronunciata. ...**

Holmiæ :
1609

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken. EOD erbjuder åtkomst till digitaliserade dokument enbart för personlig, icke-kommersiell användning. För annan användning vänligen kontakta biblioteket.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu>

ORATIO PROSAGOGICA:

A IOHANNE MESSENIO, Philosophia
Doctore, & Poëta Casareo, cum succinctam utriusq[ue]
IVRIS exegesin, in Academia Sueonum, post salutife-
rum virginis partum anno Sexcentesimo Nono, supra
Millesimum auspicaretur, uniuersis pro-
nunciata:

ET

Serenissimo, Illustrissimoq[ue] Principi Dn: GVSTAVO
ADOLPHO, Duci Finlandia, & Regi Suecia
designato, in praedem, atq[ue] vadem sua erga Illustris-
simam eius Celsitudinem iugis obseruantia,
consecrata, & mancipata.



HOLMIÆ
EX CALCHOGRAPHIA
GVTTERVICIANA.

ANNO

CID. 126. IX.

Illustrissimo Principi Dno: **GVSTAVO ADOLPHO**,
Duci Finlandiae, & Regi Sueciae de-
signato, salutem, & felicitatem
sempiternam.

Diuini ingenij frugibus abundans Plato, Illustrissime Princeps, procreationis tempore, quibusdam aurum, quibusdam argentum, naturæ opificem **DEVM** admiscuisse, illosq; ad imperandum, hos ad præstandum auxilium apprime idoneos contestatur: vtrumq; autem munus diuinum, Celsitudinis vestrae insitum naturæ, nemo inficiabitur, qui providentiâ supernâ, hereditario iure, indigenarum unanimi suffragio **V. C.** regio Axiomati destinata, & neminem sibi hactenus supplicum superpetijs defraudatum, liquidò cognouerit: Quinimò qui vel unico **C. V.** potitus conspectu, Iouem vultus Maiestatem, Cypridem formæ venustatem, Charites morum suauitatem, Cyllenium sermonis facundiam, nouenas deniq; Diuas, incredibilem **C. V.** liberalium facultatum ardorem, in genethlio impertiuisse sanctè asseuerabit: Quod ipsum mihi, cum Holmiæ nuper in Conclauis Serenissimi Regis, primo **C. V.** usurpasse obtutu, ingenuè fateor accidisse; Atq; singularem **V. C.** erga litterarum disciplinas, earumq; Didascalos amorem, mihi pro tempore persuasisse, ut Orationem, utriusq; Iuris professioni, in Gymnasto patrio à me præmissam, & præclamatam, Illustrissimæ **C. V.** dedicarem; Eaq; forem spe subnixus certissimâ, pristino illam, & innato humanitatis intuitu à **V. C.** acceptandam, & peruoluendam, meq; Clientum classe collocandum: Morem tacite persuasioni gessi, veniam audacis posco, euidentiora obseruantia promitto argumenta, quam diutissimè, iuxta ac felicissime viuere, valereq; Illustrissimam Celsitudinem vestram amicitius postulo. Vhsaliæ pridie Nonarum Martij, Anno 1609.

Illustriss. Celsitudini Vestrae

deditissimus cliens

IOHANNES MESSENIUS.

ORATIONIS PROSAGOGICÆ Contextus.

Admirabili mentis enthusiasmo, illa vatum divina gens illustrata, Auditores ornatissimi, sapientissimi ad posterorum progeniem transmissis reliquit testatum monumentis, Astræam, Iustitiæ antistitam, Iouis ac Themidos progeneratam Thalamo, posthabitis Superum incundissimis contubernijs, in orbem colonias duxisse sublunarem: Verum modicâ temporis euolutâ intercapedine, Mortaliū nefarijs compulsum facinoribus, sempiterna illa cœlorum spacia versus, nulli hominum contagioni peruia, non sine zelo, & indignatione remeasse.

Quo sub fabulæ inuolucro, quid enthea illa Poëtarum acuminosa aliud amâbo, Nepotum consecrare decreuerunt reminiscentiæ, quàm aurea primitus æuitate, Mortales innocentie primæ conspicuos candore, ab ipso æquitatis authore præpotente DEO, copiosissimos cœlitus impertitos certatim usurpasse iustitiæ radios, casteq; illius, & verecundæ imprimis viraginis, summo opere delectatos consortio: Quandoquidem primis vitæ hominum incunabulis, virtute duntaxat rerum potiunte, nullâ Terrigenis scelerum colluviis explorata, vniuersi æquitatis ingrediebantur orbitam, Rationis, & Naturæ stimulis, ad virtutis, & Honestatis, impellebantur obsequium; Non Legislatore, aut Leguleio, non iudice, vel arbitro, non vinculis, vel carcere, ad iustæ conuersationis pensum permouebantur; sed

Spontè suâ sine lege fidem, rectumq; colebant.

O aureum, imò diuinum, foelicissimumq; illud æui spacium, o beatos illius inquilinos, quos non Mauortis horridus perterruit spectus, atq; tumultus; Non mœnium, & arcium molibus construendis defatigauit sudor; Nulla Ponti inter procellas, aut viarum inter angustias, peregrinantium cervicibus impendebant discrimina:

Et Socer à Genero, simul hospes ab hospite tutus;

Atq; ut summa felicitatis capita, velut extremo contingam digito, quibus ipsa beatitudo, æquitas, ac fortuna nupuisse videbantur. Sed pro dolor, vbi senescere, & quasi ad occasum declinare clarissimus ille Sol veræ virtutis, viciorumq; nebulis obscurari passim

occepsit; Euestigiò hominum ingenia, ad factinorum abominanda ca-
teruatim ruere precipitia, rationis gubernaculo præposterè uti, o-
mnemq; prorsus scelerata vitæ largissimam iacere sementem, per
summum nefas, non dubitarunt: Tantis autem agminibus impieta-
tis, inopinato Iustitiæ metu percellentibus, tellurem humanæ gu-
bernandam tradidit licentiæ, ipsa cælorum subitò repetiuit fasti-
gia. Hic hic, periclitabatur conscientiæ, virtutis, animæq; Homi-
num progenies; Hic scelerum profundissimus gurges, & vorago, il-
lam, dubio procul, absorbuisset; Nisi rerum parentis Naturæ, Ratio-
nisq; vis, & igniculus, ex tantâ clade, non secus ac receptui canens, in
paucorum, innocentissimæ vitæ Hominum sinum, & presidium con-
fugisset; Qui peruersâ hac morum vicissitudine, vtrumq; desuper no-
stra concessum propagini lumen, clientelâ minimè defraudarunt.
Quippe duello peruersitatis colluuii generosè indicto, Mortales, pe-
cudum more vitam transigentes, ad diuinæ illius auræ gyrum, state-
ramq; portiuunculæ, æquisimis legum editis sancionibus pellexerunt,
atq; compulerunt. In his autem iustitiæ Elenchis, primarium digni-
tatis, atq; utilitatis gradum, suffragio omnium prudentium, sibi iura
delegerunt, quæ luce publicâ, corollario amplissimo, & methodo
commodissimâ, prudentissimus ille Saluius Iustinianus Imperator con-
decorauit. Hæc naturam, gentium, & civilem ambitu coercet
vastissimo, legem; Horum exquisita cognitio, Iurisprudentiæ insigni-
tur titulo; Horum studiose leguleij compellantur: Quæ nomencla-
tiones honorificæ, quæ facultas liberalissima, Regnorum, Rerumpub.
& Lyceorum florentissimæ, fructuosissimæq; celebriorum theatris, per
complexum Christianitatis: Proinde ab hoc Regno, ab hac Repub. ab
huius Academiæ Gymnade, (quam disciplinarum, virtutumq; omnium
quasi seminarium, Suecane inuentuti decet prostare) diutius Iuris-
prudentiæ publicam enucleationem, experientiamq; exulare, Sac:
Reg: Maiest: aliq; litterarum beneuoli mæcenates, perniciosum foro
patrio diiudicarunt. Quamobrè Iuris palam interpretatio, insimul
mecum solo restituta Sueonio, mecum vna in hoc eruditionis proscen-
nium introducta, meis imposta scapulis, meo imposterum præco-
nio, magnæ indolis Adolescentum studio, & profectu, in iustitiæ
& scientiæ penatibus inclarescet; Cuius verò scientiæ noticiam,
huic litterariæ, & forensi oppidò necessariam Reipub. pro ingenij
talento

Corrupta
ætas.

Vindices
virtutis

Lex con-
dita.

Iurispru-
dentia.

valento astruere, atq; illius ardorem, amoremq; circumfusa iuuentutis pectoribus iniectare mihi hodie adnitenti, vestra, Auditores doctissimi, erga Rempub. animi propensio, erga legum iustissimas habenas affectus, erga studiosam pubem fauor, & erga liberalium facultatum Professores humanitas, à vobis postulat, quatenus aures benignas, & auscultantes, exiguo temporis spacio, porrigatis.

Sacrarum quidem sancionum solertissimus conditor, huius Vniuersitatis Architectus, atq; Dominus solum statuendus est; Quis verò acuratissimarum Naturæ, cunctis animantibus insertarum legum fabricator & Eadem gloriosissima Mens; Quis iuris gentium potissimus opifex? Diuersi Nationum incolæ, diuersos in forum producunt Legislatores: Respub. namq; Athenarum Draconem, & Solonem, Spartana Lycurgum, Romana Decemuiros, Consules, Praetores, Dictatores, & Augustos; Succana verò Magogum, Ericum primum, Salmoxem Philosophum, Vigerum Spad Iurisconsultum, Ingonem primum, Stenchillum, S. Ericum, Canutum, Carolum septimum, Ierlerum Gubernatorem, Birgerum, Christopherum potentissimos Sueoniæ Reges, dissentis com monstrat digitis. Quo leges sanciverunt scopo & ut Reipub. clauum, disentionum popularium identidem expositum procellis periculosissimis, æquisimarum subsidio legum Proreta fretus, securius moderaretur, periculorum euitaret carina scyllas, tranquillitatis obtineret, secundis Zephyris, stationem; Quandoquidem

Legislatores.

Lex nocturna pharos, lex certus in equore magnes;

Boierus.

Quid? Lex anima Reipub. salus municipum, vinculum officij, summa ratio, quæ recta suadet, prohibetq; contraria, lex omnium virtutum custos, cuius præcepta saluberrima: Honestè viuere; Neminem lædere; Jus suum cuiq; tribuere; Cuius contemptus non minus quam Numinis, Rationis, Naturæ, Virtutisq; despectus, continuo vindicandus; Neq; magis pro mœnibus, quam pro legibus decertandum. Vos itaq; Musarum Alumni, legem colitis & Iurisprudentiam diligite, atq; amate, quæ Iuris ciuilis cognitio, æqui boniq; scientia; Iustitiæ sectatores vos vltro præbetis & Iurisprudentiæ lateribus, vestram spontè, vos quoq; adglomeretis, quæ iustitiæ indiuiduus comes, Iustitiæ peculiaris interpres, Iustitiæ defensatrix, & acerrima propugnatrix; Quæ cum in amantissimo, doctissimoq; Scientiarum fasti-

Collis Iu-
ris.

Thema
prælectio-
num.

Ignorantia
exhibetur

gio proficuas necit moras; Illic strenuo iuueni perfacilis conscen-
sus, non pedum grallatorijs passibus, sed decumano ingenij acumine,
illo potietur cacumine; Me directore, me ductore, me veluti facun-
do comite, in viâ vtetur pro vehiculo; cliuum animose subeunni, gra-
duum, scalarumq; subijciam adminicula, labascenti dexteram prom-
ptissime porrigam: Macti virtute, atq; ingenio iuuenes, Iurispru-
dentiæ comprimis magnificæ Heroinæ, vestram posthac operam sub-
cesivis horis diligenter impendite, me illius præconem arrectis auri-
bus, atq; penitissimis mentis affectionibus solerter auscultate: Neq;
huius vos vnquam capiet laboris fructuosissimi penitudo, qui vberri-
mam gloriæ messem, vestris olim horreis importaturus. Quippè non
vobis Iuris Pontificij valuas, sed veræ iustitiæ fenestras liberali pan-
surus cardine; Non crudelissima Draconis statuta, quæ disertissimus
Demades illum, non tam atramento, quàm sanguine exarasse dictita-
uit; verùm iustissima duodecim tabularum Decreta, prudentissima
Senatusconsulta, saluberrima plebiscita, grauiissima prætorum edicta,
vtilissimas Imperatorum sanciones, acutissima Iureconsultorum re-
sponso enodaturus: Neq; immanissimam monomachicæ Sueconum quon-
dam, & candentis Laminæ, veritatis explorandæ gratia gestatæ
consuetudinem, meritòq; abolitam; sed æquisimas Principum Suecicæ
leges, in vestro consessu, & coronâ explanaturus; Iura patriæ, cum
peregrinis, iura humana cum diuinis, magnâ collaturus industriâ;
Symphoniam, atq; diaploniam, sincerâ indigiturus dexterâ; Co-
dicillos, testamenta, instrumenta, diplomata, chirographa, apo-
chas, priuilegia, Epistolia passus, saluconductus, citationes, appella-
tiones, aliasq; permultas, rationem expeditissimam conficiendi lit-
teras, præmonstraturus: Numquid palatium regale, Cancellaria, Cu-
ria rationum, Podium prætorij, Territoriorum dies fasti, concio-
num suggesta, Academiæ plutei, Scholarum pulueres, in his
probrè versatos, non requirunt viros? Quot putatis, horum supina
ignorantia, Nostratibus in transmarinis oris, cum emunctæ naris
hominibus, super maximis Regni negotijs actuantibus, subsannatio-
nes persæpè consiliauerit? Cum neq; ipsos Iuris terminos, quibus u-
trinq; interuenientibus, actio decidenda, callerent: Et gloriosâ vi-
cissitu line factâ; Quot laudum encomia, in gestientem, & gaudio
exultantem patriæ nostræ sinum reditura existimatis, si in quauis
para-

paragraphe Iuris, expeditissimos, minimeq; exteris cedentes ingenijs, inter vos nonnullos fuerit Iuriconsultos consequuta: Habetis patriotas hac scientiâ absolutissimos, quorum vestigijs contento instatis passu; Habetis in Gymnasijs Germaniæ, Italiæ, Galliæ, & Britannia vestros olim contubernales, & commilitones, ad hanc feruentissimo incumbentes pectore disciplinam, quos amulemini, quibus cum ingenij præstantiâ decertate; si non in primis, at certe in secundis, vel tertijs consistere gloriam promeretur. Tantum tirocinium, sub meâ, diuinâ suffragante gratiâ, ponetis ferulâ, ut illi postmodum manu subductâ, quemuis torrentem Iurisprudentiæ, sine cortice tranare valeatis.

Sueci dant operam iuri.

Verumenimuerò, ut industrius telluris excultor, priusquam illi sementem omnem committit, lolij stirpitùs noxiâ euellit propaginem, ne luxuriantes, messe aduentante, supprimât culmos: Parè mihi industriâ, tecum litteraria pubes procedendum; priusquam etenim residuum nobilissimi seminis tuo pectori inseuero, extirpanda penitùs, illa peruersæ opinionis zizania, quæ nimis altis animo tuo, alicrumq; popularium, hactenùs radices peregerunt; Quæ profeminavit ignorantia, erronea irrigauit persuasio, ad messem, inscitie protelauit complacentia: Quodnam illud, quo victitasti, lolium? Illa sanè, perniciosissima Reipub. Suecane, fermocinatio: Quid nobis emolumenti importat, iura cognoscere imperialia, qui peculiaribus legum statutis gubernamur & vehementer profectò in iustitiæ hallucinaris tramite: Quid ita? Hispana, Gallicana, Anglicana, & Polona, Danaq; gaudet Curia, specialibus quibusdam legum sanctionibus; Nihilominus tamen, ingenti perseruatur conatu, æcumenica Imperatorum decreta; illa in Comitijs, Tribunalibus, Parlamentis citare, ad illa velut ad iustitiæ Asylum prouocare, confugere, & immorari non dedignatur; Illorum atros, albosq; calculos explodere, illorum sententijs reluctari, illorum arbitria præuaricari, detestandi loco sceleris semper collocat: Prudentissimo quippè mentis perpendit scrutinio, ut eadem lucidissima Phæbi facula, Europæis, & Antipodanis, gratissimos impertit radios Horizontibus; Sic etiam verus iustitiæ, & iurisprudentiæ splendor, eandem quauis terrarum Ditione, præfert claritatem, eadem quouis inculcat Capitolio æquitatis mandata, & iuris prælegit diplomata, ut Mortales honestè

Opinio peruersa.

Ratiocinatio egregia.

Iustitia sibi semper similis.

honestè uiuant, neminem ledant, ius suum cuiq; tribuant: His fir-
missimis subnituntur bastibus Casarea, & Suecana iura, iudiciq; ;
In his iustitiæ fundarunt salium, illa magnificentiore, hæc humiliorè
structurâ, & artificio, illa augustis, hæc angustis distincta orche-
stris, de illorum immenso, hæc fluenta olim deriuata fonte, ideò

Ouidius,

Dulcius ex ipso, fonte bibuntur aquæ ;

Imouero, quid si efficacissimis, studiosa phalanx, probaue-
ro argumentis, nullum vitæ stadium, te celebri, & prospero ingredi
posse pede, ni Iurisprudentiæ famulatio fueris stipata, Numquid
paradoxo nuncium perpetuū non es remissura? Numquid omni men-
tis intensiōne in Palæstrâ baldinâ non desudaturæ? & in meam extem-
plò sententiam, vel potius prælectionis Gymnasium manibus, pedi-
busq; quod aiunt, non descensura? Rationum exordior contexere sta-
men, aurem, mentem, herbamq; para. Theologico, ut tritâ fertur
paræmia, carriculo, crure sicco emenso, ad Pedom, Insulamq; anhe-
las bicornem? Iurisutriusq; nonnullam sanctissimum illud munus re-
quirrit experientiam, ut in festiuitate comitiati, Regum auribus, &
reliq; suggeras seculari Eminentie consilia salutaria, prauos auer-
runcando stolones, & probos inserendo surculos actionum; In so-
lennitate consistoriali, ut Ecclesiasticæ velitationes coronæ, plebeias
super coniugali obortas nexu simultates, de dote, & parâphernali-
bus dubietates, & litigia; Atq; quoslibet conscientie scrupos, & no-
dos, dissoluas, componas, aut rescindas. Ad concionum adspiras pul-
pita? è tuo futura emolumento cognitio iuris ciuilis, ut circum-
stanti coronæ, non legis solū diuinæ, sed etiam humanæ inculcato
rigore, ad meliorem compellas frugem; ut latronum, perduellium,
furum, mœchorum, usurariorum, peruersorum iudicum conscientie
vermem, efficaciori conficias Antidoto; Ad ludum litterarium,
promptissimâ scientiarum clauē patefaciendum contendis? Preli-
batio tibi necessaria Iurisprudentiæ, ut scholarem de iure, & iustitiâ
probè erudias frequentiam tibi commissam, quæ Iudicum, Consulum,
Senatorum, Legislatorum, fortè progressu temporis, non salutato
Academie limine, munus obitura; Aut posthabitis caule Clerico-
rum sacrarijs, ad aulæ properas Palatia? In Grammatophilicij of-
ficio, tibi ex usu maximo iuris scientia, ut regia prudenti calamo
exares diplomata, ut legationis provincias, apud patriotas, exoti-
cosq;

Cuique
statui lu-
ris cogni-
tio utilis.

eosq; pro dignitate obeat, ut regio Conclauī sententiam rogatus, conformem, & confinem equitati deponas; Aut fastuosas Aulæ pompas, vel splendidas potius miseriam perosus; ciuium albo exposcis adnotari & in consulari exedrâ, in prætorum cathedrâ, in senatorum subfellijs, in municipum propinquo spacio, tibi iustiniāna deseruiet prudentia, nemine sapientiæ candidato refragante; Aut ruris amenitate, & quiete captum, te Regalis clementia, cum potestate præfecit Territorijs; Castellani dignitas, Toparchæ authoritas, Præfecturæ sollicitudo, Legislatoris iustitia, Amanuensis conditio, censoriam iuris augustissimi desiderant omninò virgulam: Quis enim per Deum immortalē, prudentius causas, & controuersias decidet, quis seditiones populares melius componet, quis Regni leges, populi consuetudinem, libertatem, & mores sapientius defendet, quàm iuris, legumq; peritus? Verissimumq; illud: Iurisconsulti domus, oraculum prouinciæ: Aut deniq; in aprico vitæ priuatæ, annos exigere resistuos, animum tuum delectat? Iurisprudentiæ mediocriter tinctus uberrimâ scaturigene, tibi dictum ab antagonistâ nequaquam formidabis diem; non simultatem erga te Iudicis, non causâ cades, admirabili iustitiæ circumdatus splendore, nullas fortunæ nouercantis perhorresces nebulas. Quid iam animo uoluis Palæstrita eruditio- nis? quem circumspexisti, aut concepisti vitæ tramitem, sine iuris ci- uilis noticiâ, tibi gressu fœlici incundum & victam porrigere dexteram, papyrum, calamumq; dispone iuris commentationi.

Neq; meâ solùm admonitionis, sed omnium penè Conterranco- rum, munere publico fungentium, ueluti popysmate quodam, ad uti- lissimas iuris uelitationes perdiscendas impelleris; Experiuntur si- quidem Illi, foro quotidiano, quanta dignitas Iurisprudentiæ, quan- tum illius adducit commodum experientia, quantum animæ pericu- lum ignorantia; Hinc iuris volumina, squalore, situq; obstita, de late- bris eruunt; diuturnâ, nocturnâq; uoluunt manu; quod cum uolupta- te iuuenes, hoc importuno senes cum labore perdiscunt, ut sportam, quam consequuti, adornent; iuuenilem incusantes stultitiā, sortis suæ inclementiam, parentum, & præceptorum socordiam, illud tri- tum poëta ingeminando.

Præteritos nobis referat si Iupiter annos;

Vera gno-
me.

Officiales
iuri stu-
dent pri-
uatim.

Ouidius.

Antelucanus vincemus operas improbo, & indefesso legum
 studio, illiq; prorfus impallescemus: E contra vero, Adolescentes
 optimi, benignissimam vestra fortuna faciem suspiciunt, ut tempo-
 ris oportunitate. Serenissimi Regis gratia, Nomo didactæ industriæ, le-
 gum omnimodâ enodatione, indefesse fruamini cohortantur: Vident,
 vident inquam, & velut e speculâ, vniuersum Sueciæ forum perlu-
 strant, atq; ingemiscunt, insonitium permultis vincula iniici, in carce-
 res compingi, vitâ, bonisq; exui, pro scelerum gravitate multas non
 iniungi; vnde tantus iniquitatis cataclysmus; à quibus profluxit
 cataractis e ab hospitibus, & peregrinis in voluminibus Saluianis: Qui
 namq; vix nomenclaturâ iuris Suetici in limine, ut dicitur, salutâ
 tâ, iudicij periculosissimam tractare non verentur bilancem; Aut
 certè, si fori mediocrem, prolixo imbiberunt exercitio, consuetudi-
 nem Sueciani, infrunito supercilio, Aeaco etiam, Minoi, & Rhada-
 manto, si liceret, erutinam extorquerent; vnius fori experientiam,
 summam esse civilis discipline sapientiam existimantes: Toto, toto
 coelo cum Phaëonte aberrant; summa tantum lineamenta iuridicæ
 Cyclopediæ, perfunctorio inumbrata à Maioribus penicillo, Nomobi-
 lion Sueciæ comprehendit, ut illius cognitione, quasi primis labris
 iustitiæ osculo positi Sueones, ad intimos inuitarentur iurispruden-
 tiæ amplexus, qui dignitatum subsellia prænsarent: Meæ profectò
 subscribunt sententiæ, peructuste in hoc regno codicum tabernæ, Iu-
 ris Cæsarei instructissima voluminibus; meæ apponit calculum opinio-
 ni, purpurea plurimis Sueonum, superiori etate, iurisprudentiæ Tia-
 ra, in consessu academico consecrata, ut etiam præsentibus lustris;
 mihi suffragatur huius Academiæ percelebris iura interpretandi
 consuetudo, Maiorum memoriâ strenue frequentata: Quorsum libri,
 quorsum laurea, quorsum iuris externi exege sis, non solum illo tem-
 pore, sed moderno, à Regiâ Maiestate instituta, si ius patrium, omni-
 bus numeris absolutam, æquitatis iconem præsentat: in ventum ista
 spargenda. Adhuc dubietatis vestrum molestat animum scrupulus e
 adhuc pristina, ut polypos scopulo, adheretis sententiæ: Mecum in-
 genij paulisper carinâ, supremos iuris Suetici riuulos transmittite;
 Nihil omninò, præter aliquos Ecclesiæ transalpine, & connubiij
 canones, nonnulla regium circa munus statuta, paucas hereditatis
 adeundæ, latifundiij possidendi, mercature tractandæ, fori frequen-
 tandâ

Superbia
 comes i-
 gnoran-
 tiæ.

Anace-
 phaleosis
 L. 9.

randi, furti plectendi sanctiones; quædam etiam ieiunè admodum, de
 violentiâ, de vulneratione, de cade fortuito, sponteq; illatâ, inuenietis
 pertractata: His riuulis, his fretis, his vadis, his latentibus scopulis,
 quæ Cynosura, quæ Helice, quis Castor, & Pollux velificantibus salu-
 tatem impertient: Impinget prora, fatiscunt compages, excipient
 inimicum imbrem; Nauarchus reliquos secum epibatas; ad certissi-
 mum animæ pertrahet naufragium, nisi nauigio, sese, suosq; commi-
 scriit ampliori, rudentes expediuerit, oram soluerit, altum plenis te-
 nuerit carbassis, spaciosum iuris ciuilibus Oceanum vltro citroq; ferens
 tibus, aliquot annis emensus fuerit, Euris; Bina librorum prope mil-
 lia, & tricies centena millia versuum, ex Senatusconsultis, in quinquaginta
 Digestorum libros redacta, peruoluerit; Gregoriani, Hermo-
 geniani, & Theodosiani Constitutiones, in Codicem constatas, percep-
 erit, Authenticorum, Feudorumq; Collationes, & Institutionum tiro-
 cinia didicerit; vniuersi Iuris ciuilibus millia legum tredecim, & vi-
 ginti septem leges, fideli fuerit memoriâ complexus.

Volumina
Iuris.

Hic labor, hoc opus est, huic remo aptate lacertos;

Virgilius.

Non sudor remigum vos perturbet, non immensum æquoris
 spacium, vbi cælum vndiq; & vndiq; tellus, perhorrescat, generoso
 quasuis huius scientiæ superetis ausu procellas; Non salutaria vobis
 subducentur sidera, prælucebit nocturna pharus, vos inuicem illo con-
 fortetis Zeleusmate delassos:

Forsthan hæc olim Comites, meminisse iuuabit;

Maro.

Illo videlicet tempore, cum Iurisprudentiæ feliciter potiti sta-
 tione, vos Regum, expansis excipiet vlnis Curia, gloriosa iniunget
 munera, amplissimo honorum locabit fastigio, ut cæteris iustitiæ
 lampada præferatis, & patriæ emolumenta domi, forisq; procuretis.

2. officio-
rum.

Quod cum ita sit, luucnes studiosissimi, in Palestam iuris de-
 scendite, illi, omnes vestri ingenij desudent nerui, cuius cognitio, teste
 Eloquentiæ parente Marco Tullio, & interpretatio, summo semper
 in honore fuit; quam certatim exotica Adolescentum pubes, & in-
 guilina amplexatur, & disuauatur; quæ rerum diuinarum, hu-
 manarumq; noticia, iusti iniusti, scientia; cui scopus æqualitatis
 conseruatio, præfixus; quâ sine vix vllum feliciter vitæ pensum, ve-
 ster percurreret pollex; quam Capitolia patriæ, ut nauis sideriten, ut

mundus solis facem, iura Suetica desiderant, ambiunt, & procan-
tur: Vnde auctoritatum praerogatiuas expetitis? Confert Iurispru-
dencia; Nobilitatis insignia affectatis; Immortali cinget vestra tem-
pora thyrsus iustitia; Honorum cacumina subire cupitis;

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores;

Immo & diuitiarum cumulos praebent immensa iuris scrinia
manu profusa; Ad hanc insuper, ingenia vestra prouocat arenam,
Regia in vos benignitas, & voluntas serua, huc patriae salus, huc ve-
stra commoda vos stimulant; Huc ipsiusmet iustitiae placidissima co-
hortatio, huc orationis meae vehementia, huc meus in vos singularis
benevolentiae affectus, huc denique parietes ipsi, tacitis vos perurgent
gestibus, ut iuris cognitione civilis, velut alite, & prae-
pete subnixi pennam, per fortunae suprema fastigia,
ad decus, gloriamque sempiter-
nam volitetis.

D I X I.

Paraneticon Iuris Sectatori.

Quae mala, Pandorae patefacta pyxede, mundo
sparsa, refranandi vincula, iura struunt;
Iura forum decorant, nitidum velut aethera, Phœbus;
Publica res tenebris, exule iure latet;
Ad decus accessus, patet vndique iure peritis
Notio iuris opes donat, & illa genus;
Exedra prima vacat studioso iuris, honorum;
Iustitiae Tutor iuris Alumnus erit;
Iure labor nullus generosum terret Ephebum;
Discantis, rerum spes, onus arte leuat.
Aureolas iuris tot lauros possis ab auro
Voluat iura manus gnaua, brabea feret.

Δόξα τῷ θεῷ.

www.books2ebooks.eu